

QK. 330, 24 de claris Nævius.

Z d
50

Q. D. B. V.

Venerabiles

&

Amplissimos

X 2053988

DNN. INSPECTORES, PATRO-
NOS & DOCTOS OMNES,

Qvi literis, & harum Doctōribus
favent,

ad

Benevolè auscultandam,

CASPARI THEODORI NÆVII,

Chemnicensis, Wittebergam abi-
turientis

VALEDICTORIAM

Craftinâ Luce sub ipsam Octavam antemerid.

obnixè, officiosè ac peramanter

invitat

M. G. Arnoldi, R.

Typis Joh. Gabrielis Gütneri.

*



Fova Firva!



Relictæ quidem sunt post tristissimum Proto-
platorum lapsum in mente humana κοινὰ, ut vocan-
tur, ἐννοιαί, & quædam divinæ imaginis rudera, quæ
non contemplandi solum, sed & bene agendi sunt
principia; quibus mortales, si morem gerant, magis
ac magis in Virtutum studio promoventur. Etenim Natura ipsa,
ut Maximus Tyrius Philosophus Platonice loqui amat, confert
aliquid ad virtutem non secus, quàm qui muro maximo parvum
subjicit fundamentum, aut navi altissimæ exiguam aliquam ca-
rinam. Sed illa bona velut sopita jacent, & irritamento quodam
sunt excitanda. Quid autem efficacius exemplis domesticis?
Honestissimum sanè esse, cum sapientibus rectè judicat Plinius
Junior, Lib. V. Epist. 8. (quem Lipsius Atticum Oratorem, cujus
stylum, teste Caussino, Lib. III. de Eloq. c. 14. apes complere flori-
bus & innectere videntur,) majorum vestigia sequi, si modò rectò
itinere (scelera & flagitia non sunt in imitationem trahenda, sed
perpetuâ oblivione sepelienda veniunt) præcesserint. Est enim
hic quasi stimulus optimi cujusq; pectoris insitus, ne majorum fa-
mam ipse decoquat, sed potius eorum egregia facta & bene merita
novâ imitatione exprimat. Timotheum sanè paterna accendit
gloria. Datames, ut cum parente, ita ipsius auspicio bellatricem
dexteram expedivit. Præcipuè Hannibal quàm maturo tam
exercitato patriæ laudis contubernio ad famam Imperatoris &
artes est provectus (Bœcl. Comment. in Nep. p. m. 45.) Sapientis
enim est viam ab aliis tritam insistere, quippe quæ & minore cum
molestia, & majore brevitate ad locum propositum ducit: Stulti
ex adverso novum iter per obstantes sylvas locaq; uligine hor-
rida moliri. Optimè istud expendit

Casparus Theodorus Nævius, Chemnicensis.

Huic ut nasci contigit ex ea Familia, in qua verus honor & virtutis
splendor enitet; ita laudis & Gloriæ semitam à majoribus emensam
decur-

decurrere gloriosum duxit. Nihil dicam ex veteri historia de Romanis, ubi celebris Poëta Nævius, qui stipendia fecit bello punico I. & primus carmine (ante Ennium) signavit bellum Romanum *luculentè*, ut ait M. Tullius in Bruto (*Voss. de Hist. lat. Lib. I. c. 2. p. m. 6. sq.*) A Livio, qui Historiæ Latinæ princeps Grutero, & uberrimus Historicorum Lipsio, laudantur Nævius Crista vir impiger & peritus militiæ *Lib. XXIV. 40.* Q. Nævius Triumvir *Lib. XXXIV. 53. & XXXV. 40.* M. Nævius Tribunus Plebis *Lib. XXXIIX. 56.* Q. Nævius Prætor *XXXIX. 32.* L. Nævius Balbus *XLV. 13.* Mentio quoque fit *Lib. II. c. II.* Portæ Naviæ (quæ Baudrando nunc Porta Maggiore, quia major aliis & quasi arcus triumphalis *Hoffm. Lex. Tom. II. p. 2.*) quâ alter Consul T. Lucretius cum aliquot manipulis militum egressus, cum Roma à Porsena obsideretur. A Romanis enim Nobilissimam Næviorum familiam originem trahere suo etiam comprobatur calculo Jobus Fincelius D. Physicus in *Republ. Cygnæa*, qui in obitum D. Joh. Nævii anno 1575. inter alia ita cecinit:

Si genus & proavos quæris, si nomen avorum,
Hinc meritæ poterat laudis habere decus,
Non res exigua est laudata ab Origine nasci,
Quæ studii aut facti nobile nomen habet.
Posteritas siquidem testis virtutis avitæ est,
Nec sata de corvo danlias ulla fuit.
Hic de Romana veteriq; propagine cretus,
Forte etiam celebres enumeraret avos,
Quos Latium tenuit, sed post Germana recepit
Ausonios tellus fortis Agrippa tuos.
Deducta ad Rhenum est Romana Colonia quando,
Quæ vetus huic urbi nomen origo dedit.
Gloria non levis est celebrari gentis honore,
Nævius hoc etiam nomine magnus erat.

Chemnitium nostrum produxit Viros Pietatis, Doctrinæ & Virtutis laude clarissimos (*liceat mihi verba M. Conradi Portæ ex Orat. d. 7. Junii. 1582. Islebia de vita Andreae Fabricii Chemnic. habita repetere*) Johannē & Casparū Nævios, Artis Medicæ Doctores, tam præstantes & peritos, ut Illustrissimus & Potentissimus Saxoniarum Elector Augustus (*ut & Mauritius juxta Albinum Chron. Misn. p. 336.*) illi Augusti corporis curam committeret; Hunc in Academia Lipsica Professore liberalissimo stipendio aleret.

Zd 50 GK

ret. Tertius Prater Consulatum in patria gessit ad annos plurimos. Quartus bellator & miles strenuus in juventute diversorum Regum & Principum castra & lituos secutus. Haecenus ille. Hos tanti fecit Romanorum Imperator Ferdinandus III. ut anno 1559. Insignia sive arma gentilitia iisdem cum posteris omnibus & singulis Nobilium ordini adscriptis contulerit clementissimè. Horum posteros adhuc veneratur Urbs nostra inclyta, colit Hala Saxonum, Dresda & VViteberga Admirantur. Hæc documenta intuetur Noster Nævius consiliis Sapientissimis *Nobilissimi Parentis*, (cui iterum fausto omine Curia submisit fasces) à puero eruditus, ejusq; exemplo, optimis institutis ac factis ad laudè quotidie vocatus, & in eo totus, ut præclarâ consuetudinem in Næviorum Domo laudis expetendæ exercendarumq; artium optimarum retineat. Hinc Pietatem Deo, Observantiam superioribus, Præceptoribus Obsequium, Commilitibus studium & Musis Industriam singularem probavit hætenus. Unde factum, ut Dei gratiam, Magnorum Virorum benevolentiam, favorem Præceptorum, & bonorum omnium amorem conciliârit sibi, eosq; in studiis progressus fecerit, qui Nobilem Adolescentem & ad summa quævis natum decere videntur. Quia autem Studiorum ratio svadet, ut Academica posthac moliatur exercitia, Vale nostræ Scholæ cras, Deo dante, sub ipsam octavam antemeridianam dicet. Specimen vero profectuum relicturus *Serenissimo ac Potentissimo Electori Saxonie JOHANNI GEORGIO III. Patri Patriæ Clementissimo* de felicissimo Imperii auspicio cultum humillimum testaturus gratulari constituit.

Venerabiles igitur ac Amplissimos Dnn. Inspectores, & Doctos omnes, qui literis, & harum Doctoribus favent, ea, quâ par est, observantiâ & modestiâ rogamus, ut Cras, volente Deo, Hora VIII. mat. frequentes comparere, & Valedicturo benevolas aures præbere velint. Grato id animo celebrabit discedens, reliqui Discipuli auctoritate & præsentia vestrâ incitati strenuè in studiorum stadio procurrent. Ego vero, si qua in re gratus esse potuero, ut promptum me intelligatis & Honoris vestri observantissimum omnem adhibebo operam. Λόγον προπεμπτικόν
 Johannes Matthæus Engel / Chemnic. habebit memoriter. P.P.
 d. XIV. Kal. Maji M. DC. L. XXXI.

1077



Qk. 330, 24 de claris

P.
Ves

DNN. INSPEC
NOS & DO

Qvi literis, &

Benevolè


CASPARI TH
Chemnicens

VALED

Craftinâ Luce sub i
obnixè, offi

M. G

Typis Job



Z d
50

2053988

BIBLIOTHEK

